



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Medvlla Theologiæ Moralis

Busenbaum, Hermann

Monasterii Westphaliæ

Dub. IV. Obquam causam poßit ferri censura?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40957

prior tantum declaratur, ac vivis prohibetur, nec cum iis agant, orando pro illis, sepeliendo, &c. Similiter dicuntur absolvi ab excommunicatione, quando sepultura & orationes publicæ pro illis permittuntur. *Laym. l. c.*

II. Advenæ & peregrini brevi tempore alicubi commorantes, non ligantur censuris locorum generali sententia aut statuto decretis: quia non sunt subditi. *Laym. l. c. n. 5.*

III. Etsi subditi extra suam dioccesin, (vel in loco diocesis exempto) delinquentes contra legem sui Episcopi, non incurrant censuram; superior tamen saltem regularis, potest suos subditos, ubicunque existant, per particularem sententiam censuris innodare. *v. Laym. l. c.*

IV. Hæretici, Apostatæ, & Schismatici, possunt affici censuris: quia per baptismum sunt subditi Ecclesiæ. *v. Laym. l. c.*

V. Solus Papa non potest incurrere censuram, quia nulli est subiectus. *Bon. l. c.*

DUBIUM IV.

Ob quam causam possit ferri censura?

Resp. Ob solum peccatum externum, censuræ proportionatum, & conjunctum cum contumacia. Et quidem in interdicto locali potest esse alienum, v. g. Prælati, vel communitatis, (non tamen hominis privati) alias requiritur proprium. *Bon. p. 3.* Unde resolves.

I. Non possunt censurari infantes, vel amentes,

res, quia non peccant. *Bon. d. 1. q. 1. p. 4. Laym. s. 4. n. 3. ex S. Thom. Suar. &c.*

II. Etsi ob peccatum veniale interdum fieri possit levis suspensio, vel leve interdictum, excommunicatio tamen major, suspensio gravis & interdictum, personale speciale, (quicquid sit de generali) non potest ferri, nisi ob culpam mortalem, quia alioqui pœna non esset proportionata culpæ. Imò cum sint pœnæ medicinales, non debent infligi pro quovis mortali, sed quibusdam tantum, ne censuræ contemnantur, ut monet *Trid.*

III. Actus peccati, ob quem censura fertur, debet esse mortalis, non tantum quoad actum internum, sed etiam quoad substantiam operis externi. Hinc non excommunicatur leviter percussiens Clericum, etsi intentionem mortalem habuisset, uti nec, qui interius tantum est lapsus in hæresin, quam exterius non significavit: quia Ecclesia tantum judicat de externis. *Benac. l. c.*

IV. Actus peccati in suo genere debet esse perfectus, & consummatus, nisi expressè aliud foverent verba legis: quia pœnæ & odia sunt restringenda. Hinc excommunicationem homicidæ non incurrit: favens, mandans, consulens, juvans, nec vulnerans lethaliter, nisi mors sequatur. Item quando excommunicatur mandans, consulens, &c. vel ferens suffragium pro indigno, subintellige efficaciter, seu effectu secuto: quia sine eo mandatum, consilium & suffragium, non est completum, & perfectum in genere homici-

di, furti
tant, ut
cipaliter
verò acc
esse ex
ctus, no
praxi ef

V. Q
fat etia
impote
tiæ & d
ea sit fa
Clericu
teque n
tamen p
tione p
max.

Dixi
& crassa
modus
qui præ
verba, u
dè) tali
mere,
dolum

VI. N
natural
tur præ
violetu
teritum
si aliq

di, furti, &c. Alii tamen attendendum esse putant, utrum in mandantes, consulentes, &c. principaliter, & per se feratur excommunicatio, an verò accessoriè tantum: & dicunt priore casu esse excommunicatos, etsi non sequatur effectus, non item in posteriore. Quæ sententia in praxi est tutior, *Bon. l. c.*

V. Quicquid excusat à peccato mortali, excusat etiam à gravi censura, v. g. materiæ parvitas, impotentia legem implendi, defectus advertentiæ & deliberationis, ignorantia invincibilis, si ve ea sit facti, ut v. g. si nescias, quem percutis esse Clericum; si ve juris, ut si scias esse Clericum, teque mortaliter peccare percutiendo, nescias tamen percussorem illam sub excommunicatione prohibitam esse. Ratio, quia non es contumax.

Dixi, *invincibilis*: quia ignorantia culpabilis & crassa non excusat, nisi addatur in lege certus modus, v. g. qui hoc fecerit scienter, consultò, qui præsumpserit ausu temerario violare, (quæ verba, utpote in re odiosa, accipienda sunt strictè) talis autem non potest dici temerariè præsumere, nisi ignorantia esset affectata, formalem dolum includens. *Escob. t. 4. c. 6. n. 37. Sanch. de matr. t. 3. l. 9. d. 32. n. 31.*

VI. Non incurritur censura ob peccatum soli naturali, vel divino juri repugnans, sed requiritur præceptum Ecclesiæ, quod contumaciter violetur. Item, nec ob peccatum merè præteritum potest censura infligi ab homine, nisi aliquo modo pendeat in futurum, ratione

scandali, vel restitutionis non factæ, vel perseverantia in peccato post monitionem, quia abest contumacia. Nec refert, quod quis ob peccatum præteritum, vel etiam sine peccato. (modo iusta causa subsit) possit ad tempus arceri ab aliorum consortio, a'tari, communionem, &c. ut subinde fit in religionibus, & in iure etiam vocatur excommunicatio, vel suspensio, sed latè, quia non est censura proprie dicta, cujus violatio inducat irregularitatem sed simplex tantum pœna. *Ill. l. 1. c. 6. n. 186.*

VII. Non incurrit censuram, qui legem transgreditur ex gravi metu, licet quandoque non excusetur à gravi culpa, quia non censetur contumax, *Lay. l. 1. r. 5. p. 1. ca. 5. n. 9. Bon. d. 1. q. 2. p. 3. n. 2 ex Suar. Con. &c.*

VIII. Censura invalida est ex triplici capite.

Primo ob defectum ferentis, si scilicet careat jurisdictione, vel eam habeat impeditam per censuram, vel suspensam per legitimam appellationem, de qua *v. Lay.*

Secundo, si substantialis ordo iudicii prætereatur, ut si reus non citetur, nec moneatur sub comminatione censuræ. Ratio, quia non est contumax, qui ante non fuit monitus de præcepto & pœna annexa. Quod tamen intellige de censura ab homine lata, per sententiam particularem: quia, quæ fertur à iure, vel per sententiam generalem, vel etiam specialem, respectu tamen actus futuri, non eget alia monitione, cum lex aut sententia seipsa satis moneat. Idem est de sententia non illativa censuræ, sed declaratoria tantum: quia

quia a
censura
commu
sura si
nonica
do ex j
v.g. mo
scripto
tur. 4. l
mensur
tur à di
Ter
deficer
nec sec
fiat. 2. S
tamen
non co
3. Si à p
probet
ptam h
parte r
non lig
terno f
p. 1. c. 6.

Re
larem
tam t

quia absque alia monitione declarari potest censura incurfa, quando crimen, cui est annexa, commissum esse evidenter constat. Porro ut censura sit licita, requiritur 1. ut dicta monitio sit Canonica, id est, trina, iuxta Canones: etsi aliquando ex iusta causa sufficiat una tribus æquivalens, v. g. moneo te semel pro tribus vicibus. 2. Ut ex scripto recitetur. 3. Ut causa censuræ exprimat. 4. Ut reo petenti exemplum scripturæ, intra mensem tradatur: alioqui Judex ipse suspenditur à divinis officiis, *Fill. t. 11. c. 4.*

Tertio, ob defectum justæ causæ. Hæc autem deficere potest tripliciter. 1. Si nec à parte rei, nec secundum allegationes fori externi, subsistat. 2. Si à parte rei crimen subsistat quidem, non tamen in ordine ad iudicium: quia reus de eo non confitetur, nec legitime de eo convincitur. 3. Si à parte rei non subsistat crimen, etsi iudicè probetur, ideoque titulum seu causam præsumptam habeat Judex. In quo casu etsi sententia à parte rei sit injusta, ideoque probabilius censura non liget in foro conscientiæ; in foro tamen externo servari debet, propter scandalum. *v. Laym. p. 1. c. 6.*

DUBIUM V.

Qui possint absolvere à censuris?

Resp. I A censura lata per sententiam particularem, ordinariè is tantum potest absolvere, qui eam tulit, vel ejus superior, vel successor, vel

Ll s

dele-